

quenter non esse necesse, quod ipsa expressa invocatio, seu professio repetatur in Confirmatione, sicuti de facto non est necesse, quod repetatur in aliis Sacramentis. (24. Non valet, inquam, quia cum Confirmatio sit instituta ad roborandam fidem, quæ in Baptismo suscepta est, et ad eam etiam extrinsece profitendam, necesse est ut etiam expresse ejus principale Mysterium magis in ipso Baptizato Confirmando firmetur, quod non requiritur in aliis Sacramentis cum non sint instituta, nec dentur ad ejusdem Fidei firmitatem, et professionem. (25. Tum quia Concilium Florentinum in decreto de unione Armenorum pro forma essentiali Sacramenti Confirmationis cum cæteris verbis ejusdem formæ ponit expressam invocationem Sanctissimæ Trinitatis, ut patet ex præcis suis terminis sub num. 18 relatis (1).

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt ministrum, et subiectum confirmationis.

(1. Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus. Est de fide definitum in Concilio Tridentino sess. 7, can. 3, de Confirmatione, ibi: « Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit; » et jam antea statuerat Concilium Florentinum in Decreto Eugenii de unione Armenorum. (2. Omnis Episcopus etiam excommunicatus, hæreticus, vel degradatus valide conferre Sacramentum Confirmationis; quia per hæresim, vel excommunicationem, vel degradationem non amittit Characterem Episcopalem, in quo datur potestas confirmandi: Est communis cum Barbosa de Offic. et potest. Episcop. part. 1, allegat. 30, num. 2, et colligitur ex Trident. sess. 7, can. 12, de Sacramentis in genere, ubi de quolibet Sacramentorum Ministro in peccato existente sic definit: « Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut non conferre Sacramentum, anathema sit. » (3. Episcopus etiam valide confirmat, quamvis non sit confirmatus; po-

(1) Legendi Turnelius, Witasse, Trombellius disp. 6, quibus adde Luca Holstenii dissertationem de forma Sacramenti Confirmationis apud Græcos iterum editam in eod. T. 10 Thesauri Theologici p. 470, seqq.

(2) Potuisse olim Episcopos Presbyteris facultatem confirmationis conferendæ impertiri non desunt qui sentiant. De qua quæstione legantur Benedictus XIV. de Syn. Diocæs. lib. 7, cap. 8, et Trombellius de Conf. Tom. 2, disp. 10, cap. 6. Verum ut ut de hac difficili et valde implexa controversia sit, in confesso est, inquit idem Benedictus XIV. irritam nunc fore Confirmationem a simplici Presbytero Latino, ex sola Episcopi delegatione, collatam; quia Sedes Apostolica id juris sibi unice servavit; quam quidem reservationem non tantum a consuetudine in tota Ecclesia Latina jamdiu recepta tacite indutam arbitramur, sicuti opinantur Juenin de Conf. diss. 3, qu. 5, c. 2, art. 1, et Tournely de Sacram. Confirm. qu. 5, art. 2, sed jam ante 19 sæculi finem

testas enim confirmandi non venit a Characterem Confirmationis, sed a Characterem Ordinis Episcopalis; unde cum Episcopus licet non confirmatus habeat Characterem Ordinis Episcopalis, in quo fundatur potestas confirmandi, valide conferre Confirmationem; Barbosa loc. cit. num. 3. Bonacina de Sacram. disp. 3, quæst. unic. punct. 2, num. 10. Suarez, Henriq. et alii passim. (4. Minister extraordinarius Confirmationis potest esse etiam simplex Sacerdos ex speciali commissione, et delegatione Summi Pontificis (2): cap. *Pervenit* 1, dist. 95, ubi refertur S. Gregorium Papam hanc facultatem concessisse Presbyteris Sardinæ propter defectum Episcoporum, ibi: « Ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus. » Et hoc expresse indicat Eugenius IV, in Concilio Florentino loc. cit. ibi: « Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc Sacramentum Confirmationis ministrasse. » (5. Et talem facultatem concesserunt etiam alii Summi Pontifices variis Religiosis, ut Innocentius IV. Patribus Prædicatoribus, Joannes XXII, et Leo X. Fratribus Minoribus pro Indis, teste Rodriguez in suo Bullario Regul. in Bulla Leonis X. Gregorius XIII. Patribus Societatis Jesu, ut testatur Suarez; Innocentius XIII. Patri Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minor. de Observantia, Constit. incip. *Cum ad infrascriptum*. Et ipsi Guardiano eandem facultatem concessit etiam Benedictus XIV. Constit. incip. *Cum ad infrascriptam*, et Constituit. incip. *Demandatum* § 14, et alii alii in terris infidelium remotissimis a Sede Apostolica, ubi Episcoporum Catholicorum copia non adest. (6. Talis autem facultas non solet concedi, nisi ex urgentissimis causis, ut etiam indicavit Concilium Florentinum loco cit. ibi: « Ex rationabili, et urgente admodum causa; » et patet ex pluribus similibus petitionibus rejectis a Sacra Congr. Conc. et signanter in Tarraconensi 25 Januarii 1659, in una Insularum Philippinarum 28 Januarii 1668. Vide infra num. 56, etc. (3).

expresse factam colligimus ex ep. 70. Nicolai I. ad Hincmarum, in qua legitur, Græcorum Imperatorem, eosque, qui illis parebant, calumniari Sanctam Romanam Ecclesiam, immo omnem Ecclesiam, quæ Latina utitur lingua, « quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus, et quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus. » (Edit. Barbiell.)

(3) Cave autem putes, Romanos Pontifices cuique Laico aut etiam Clerico, qui nondum Presbyter sit, facultatem confirmandi tribuere posse, quemadmodum nonnulli senserunt, quos Trombellius refellit disp. 10, quæst. 5, cap. 8. Presbyteri vero, quibus ea delegatur potestas, servare aliqua debent a Sacra Congregatione de propaganda fide illis 4 Maii 1774, præscripta in Instructione Romæ edita, et a laudato Trombellio l. c. p. 143. seqq. iterum exhibita, pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicæ delegatione ministrante. (Edit. Barbiell.)

(7. Episcopus non potest in alterius Diocæsi confirmare suos Subditos, vel Pontificales actus exercere, absque licentia Episcopi, in cujus Diocæsi reperitur, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium. Ita Conc. Trid. sess. 6, de reform. cap. 5, et Sacra Congr. ejusdem Conc. in Mediolanensi 13 April. 1575. (8. Nec in Diocæsi vere Nullius; Sac. Congr. Conc. in Dirachien. 21 Augusti 1627, et in Isernien. 1 Mart. 1687. In ministrando enim Confirmationis Sacramento ultra potestatem Ordinis requiritur etiam potestas jurisdictionis, quam non habet Episcopus in Diocæsi alterius, seu vere Nullius. (9. Immo neque potest Archiepiscopus in Diocæsi Suffraganei; Gloss. in Clem. cap. *Archiepiscopo* 2, de privileg. et excessibus privileg. Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiast. cap. 7, num. 132, et de Offic. et potest. Episc. part. 1, tit. 4, num. 49. Card. Petra loco cit. num. 54, referens ex Pignatelli sic fuisse in terminis resolutum. Archiepiscopus enim nequit exercere Pontificalia in Ecclesiis Suffraganeorum absque licentia Episcopi Ordinarii; Sac. Congr. Episc. et Regular. 18 April. 1599. (10. Quinimmo nec in propria Diocæsi potest Episcopus licite ministrare Confirmationis Sacramentum personis alterius Diocæsis absque consensu Episcopi Confirmandorum, ut expresse resolvit Sac. Congr. Concil. 28 Novembris 1602, lib. 10, decr. pag. 49, ubi proposito dubio: « An liceret Episcopo personis sibi non subjectis Sacramentum Confirmationis conferre absque consensu proprii Episcopi Confirmandorum? » fuit resolutum omnium consensu: *Non licere*. Et sic docent S. Antoninus in Summa part. 3, tit. 15, § 5. Sylvester verb. *Confirmatio*, quæst. 5. Tabien. eod. verb. *Confirmatio* § 6. Armilla eodem verb. *Confirmatio* num. 5. Tolet. instruct. Sacerd. lib. 2, cap. 24, num. 5. Bellarm. de Sacram. lib. 2, cap. 12, in fine; Suarez part. 3, quæst. 72, art. 12. Bartol. ab Angel. Dialog. 3, § 62, quos Auctores nominatim sequuta fuit Sacra Congregatio in adducta resolutione, ut refert Card. Petra loco cit. n. 48. (11. Nec desunt Auctores, qui dicant, quod Episcopus aliter faciens suspensionem incurrat, ut Vivald. tit. de Confirmat. cap. 4, num. 3. Petrus de Ledsma in Summa part. 1, de Sacram. Confirmat. cap. 9, vers. *septima conclusio*; Bartol. ab Angelo dict. Dialog. 3, § 62, quos refert, et sequitur Bonacina de Sacramentis disput. 3, qu. unic. punct. 2, num. 1. (12. Barbosa tamen cum Diana, Layman, et aliis ab ipso citatis dict. allegat. 30, num. 14, part. 2, de Offic. et potest. Episcop. verius existimat, Episcopum confirmando in sua Diocæsi subditos alterius, a suspensione, et culpa excusari, cum præsumendum sit hoc ratum, et gratum fore proprio Episcopo, præcipue quando est absens, vel non ministrat hoc Sacramentum, vel confirmat aliquem afferentem dimissionem sui Episcopi, ut ordinetur, quia qui concedit finem, concedit necessaria ad talem finem. (13. Episcopi vero attentiores talem usum confirmandi non subditos sine facultate suorum Ordinariarum non admittunt; Pax

Jordan. tom. 1, lib. 3, tit. 2, num. 49. Et Cardin. Archiep. Neapol. in Edicto pro Confirmationis Sacramento id solet prohibere, ut observat Crispin. in Visit. Pastoral. part. 2, § 17, pag. 513. (14. Et in tali casu, quod Episcopus se expresse declaret, ut Episcopus Fesulanus, Chrisma ministraturus se prius expresse declaravit, nolle, neque intendere confirmare Diocæsanos Florentinos, aliosque, qui legitimam suorum Ordinariarum licentiam non habuissent, tunc ipsi essent invalide confirmati. Cum enim nonnulli Florentini hujus declarationis inscii ad Confirmationem accessissent, fuit dubitatum, « An præfati Diocæsani fuerint valide confirmati. » Sub die 8 Augusti 1682, fuit responsum a Sacra Congr. Conc. *Negative*.

(15. Ad viciniorem Episcopum spectat conferre Chrisma, consecrare Aras, vel Altaria portatilia, Sede vacante; et Vicarius Capitularis procurare debet, ut illi subministratur victus conveniens, et equorum expensæ; Sac. Congr. Episcop. in Carentina 10 Januarii 1605. (16. Vicinior Episcopus dicitur ille, cujus Cathedralis est proximior Cathedrali vacanti; licet forte alius esset vicinior loehabitationis impetrantis; Sacra Congr. Conc., in Fundana 14 Novemb. 1637. (17. Sic etiam in locis exemptis, et in Abbatibus, quæ vere Nullius non sunt, Chrisma ministrare pertinet ad Episcopum viciniorem, seu in cujus Diocæsi sita est Abbatia. Ita resolutum refert Pignatell. tom. 10, consultat. 154, num. 11. (18. Unde potest Episcopus in Parochialibus Monachorum exemptorum Sacramentum Confirmationis administrare, invitatis ipsis Regularibus, et contra eos hujusmodi administrationem impediennes Censuris procedere; Sac. Congr. Concil. in Brixien. 9 Junii 1655, argum., cap. *Responso* 43. de sentent. excomm. et argum., cap. *Quoniam* 19, de sentent. excomm. in 6. (19. Et si Abbas conferre tentet Sacramentum Confirmationis, nihil agit, non obstantibus privilegiis obtentis ante Concilium Tridentinum; Sacra Congr. Concil., 23 Julii 1635. (20. Abbas, qui vere est Nullius, et habet Territorium separatum faciens propriam, et distinctam Diocæsim, convocare potest quemcumque maluerit Catholicum Antistitem ad Sacramentum Confirmationis ministrandum: ut sæpius resolutum fuisse a Sacra Congr. Concil. refert Fagn. lib. 1 Decr. in cap. *Cum venisset* 1, de Sac. Uction. § *Per frontis* num. 8. Rota decis. 723, num. 6, coram Cerro, et resolvit eadem Sacra Congregatio Concil. in Dirachien. 21 Augusti 1627, lib. 3. Decr. pag. 316, ibi: « Si Abbatia hujusmodi Nullius Diocæsis existat, esse in facultate Commendatarii convocare, quem maluerit Catholicum Antistitem ad Sacramentum Chrismatis ministrandum; » Similiter in Isernien. 1 Martii 1687, fuit rescriptum, manutenendum esse Abbatem Sancti Vincentii in Vulturno in possessione vocandi Episcopum sibi bene visum ad effectum ministrandi Sacramentum Confirmationis in ejus Abbatia, salvo tamen jure Episcopi vicinioris. (21. Non potest Episco-

pus, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha in locis alienae Diocesis, ubi aliquas habet Ecclesias sibi immediate subditas, licentiam concedere extraneo Episcopo administrandi Sacramentum Confirmationis, et Ordinis, nec Pontificalia munia exercendi absque licentia illius Episcopi, in cuius Diocesi locus est constitutus: Sacra Congreg. Conc., in Aquileiensi 14 Junii 1569. (22. Si Episcopus sit Commendatarius Abbatiae Nullius, non potest ibi illius subditis Ordines conferre, vel Synodum, aut concursum facere, sed bene Confirmationis Sacramentum administrare, Altaria, et Capellas consecrare, aliaque Pontificalia exercere; Sac. Congr. Episc. et Regul., in Celsonen., 27 Septembris 1602.

(23. Episcopus alienus Sacramentum Confirmationis administrans debet ab Episcopo Diocesano provideri; Sacra Congreg. Episcop., 15 Maii 1582. (24. Quando Ordinarius vadit per Diocesim extra Visitationis occasionem, licet ad consecrandam, vel reconciliandam Ecclesiam, vel Sacramentum Confirmationis administrandum, neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro equis, neque pro victualibus. Sac. Congr. Episcop., in Florentina 25 Januarii 1627. (25. Episcopus enim proprius non potest pro Sacramento Confirmationis administrando procuracionem recipere. Sac. Congr. Episcop., in Ariana 16 Junii 1636, juxta c. *Ea quae* 16, et cap. *Ad nostram* 21, de Simon. et sic etiam decrevit Sac. Congreg. Conc., in Bojanen. ubi cum inter varia nubia fuerit sub num. 6, quaesitum: « An Episcopo accedenti ad conferendum Sacramentum Confirmationis, teneantur Universitates praestare victualia, nisi concurrat consuetudo legitime praescripta. » (26. Immo Monacellom. 1, tit. 5, form. 2, num. 22, mordicus tenet, quod Episcopi quantum ad hoc neque juvantur consuetudine, quae corruptela est. Nec obstat Decretum mox citatum in d. Bojanensi per illa verba: « Nisi concurrat consuetudo legitime praescripta, » nec aliud Decretum ejusdem Sac. Congr. Conc., in Minerbien., 14 April. 1654, lib. 19. Decret. pag. 482, ubi sup. osita consuetudine, censuit « Episcopo esse solvendos ab Universitate Montis Leonis Ducatos duodecim pro victualibus occasione administrationis Sacramenti Confirmationis, » quia hodie, ut recte dicit Eminentissimus Petra loc. cit., num. 76, nec circa hoc suffragatur consuetudo, cum sit expresse sublata per Taxam Innocentianam in principio, ibi: « In modo che deve dirsi reprobata, ed illecita ogni contraria consuetudine. » (27. Quae taxa fuit edita de mandato expresso Innocentii XI, qui die prima Octobris 1678. eam approbavit, et ejus observantiam, et publicationem injunxit Sac. Congregat. Concil. et die 8 Octobris ejusdem anni 1678. Sacra Congreg. Eminentiss. S. R. E. Cardinal. Conc. Trident. Interpretum inhaerendo mandatis Sanctitatis Suae praemissam Taxam, seu declarationes Typis dandas esse, et per literas ad quoscumque locorum Ordinarios transmittendas, ut eas in Cancellaria in loco omnibus patenti reti-

neri faciant, easdem adamussum observent, ac faciant observari. F. Card. Columna Praefectus, etc. (28. Et haec Taxa Innocentiana justissime reprobatur, et illicitat omnem contrariam consuetudinem, ut clare patet ex c. *Non satis* 8, c. Cum in Ecclesiae corpore 9, c. Ea quae 16, et c. In tantum 36, de Simonia, in quibus omnibus reprobatur tamquam Simoniacae consuetudo aliquid exigendi pro Confirmationis, aliorumque Sacramentorum administratione. (29. Unde Episcopus, nedum nihil potest exigere pro administratione Sacramenti Confirmationis, sed et si aliquid exegit, tenetur restituere; ut expresse declaravit Sacra Congregatio Concilii in Amalphytana ad secundum dubium propositum contra ejusdem Archiepiscopum, ibi: « An occasione ministracionis dicti Sacramenti Confirmationis in Visitatione potuerit, et possit in futurum Procuracionem ab universitatibus Laicis exigere, et an exacta restituere teneatur? » Sac. Cong. sub die 18 Jul. 1699, lib. 49. Decret. fol. 252, respondit: *Negative* quoad primam partem, et *Affirmative* quoad secundam a die habiti recursus; quae resolutio confirmata fuit sub die 6 Februarii 1700. (30. Quod procedit nedum quoad Episcopos Confirmantes, sed etiam quoad Vicarios, Cancellarios, aliosque familiares, ut praescribitur, in d. Taxa Innocentiana § 6. (31. Subjectum capax Confirmationis valide recipiendae est omnis homo baptizatus, et nondum confirmatus; cap. *Omnes fideles* 1, distinct. 5, de Consecratione. (32. Quod confirmandus debeat esse baptizatus clare patet, quia Baptismus est janua caeterorum Sacramentorum quorum proinde incapax est qui non est baptizatus. cap. *Si quis Presbyter* 1 et c. *Veniens* 3, de Presbytero non baptizato. (33. Quod confirmandus nondum debeat esse confirmatus, est clarum, quia Sacramentum Confirmationis non tantum illicite, sed etiam invalide iteratur; Conc. Trid., sess. 7, de Sacramentis in genere cau. 9, ibi: « Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. » (34. Non tamen permittens se bis confirmari, nec bis confirmans eundem fit irregularis, quia talis irregularitas nusquam invenitur expressa in toto jure; et irregularitas non contrahitur, nisi in casibus a jure expressis: c. *Is qui, de sent. excommunic.* in 6. Et sic tenent Scotus in 4, dist. 7, quaest. 5. Suarez de Censuris disp. 42, sect. 4, num. 6. Barb., de Offic. et potest. Episcop., dic. part. 2, allegat. 30, num. 30, aliaque multi ab ipso ibi citati; Rosignol., de Confirmat. quaest. 7, art. 6., n. 3, cum aliis ab ipso ibi citatis. (35. Infames, quamvis valide possint confirmari ante usum rationis, non tamen licite, ut colligitur ex c. *Ut jejuni* 5, dist. 5, de Consec., ubi dicitur, ut Jejuni ad Confirmationem veniant perfectae aetatis; ex Catechismo Romano edito jussu Sancti Pii V, qui requirit in confirmando saltem septennium, quod idem statuere videtur

Concil. Coloniens. pag. 7, cap. 9, ex Pontificali Romano, quod praecipit ut confirmandus sciat Doctrinam Christianam, et impingatur ei alapa ad recordationem; quae videntur in suscipiente exigere usum rationis; ex Concil. Mediolanens. I, quod prohibet confirmari pueros ante usum rationis; et ex communi praxi ubique recepta, quod ante usum rationis pueris non conferatur Sacramentum Confirmationis, quae omnia certe simul collecta inferunt obligationem sic observandi. Vide infra n. 59. (36. Sacramentum Confirmationis potest licite conferri amentibus et furiosis, etiamsi fuerint perpetuo tales; Suarez tom. 3, in tertiam partem D. Thomae disput. 35, sect. 2, vers. *dicendum nihilominus est*; Layman Theolog. Moral., l. 5, tract. 3, c. 5, num. 3. Coninch. de Sacramentis quaest. 72, art. 8, num. 83. Villalobos in summa tit. 1, tract. 6, difficultat. 6, num. 2. Barb. loc. cit. num. 21, et alii passim. (37. Muti possunt licite confirmari, etiamsi fuerint a nativitate tales; quamvis enim ipsi ore non possunt, vita tamen et opere valent Fidem profiteri. Est communis. (38. Possunt licite confirmari etiam infirmi morti proximi; sic Sanctus Thomas, tertia parte quaest. 72, in respons. ad quartum; S. Bonaventura in 4, dist. 7, art. 3, quaest. 1, et alii communiter. (39. In adultis, ut valide confirmetur, requiritur intentio saltem habitualis Confirmationem recipiendi; in infantibus vero, et perpetuo amentibus nulla requiritur intentio, quia hanc in eis supplet Christus, et Ecclesia, sicut in Baptismo. Communis. (40. In adultis, ad licite recipiendam Confirmationem requiritur status gratiae, c. *Ut jejuni* 5, de consecrat. Est enim Confirmatio Sacramentum vivorum, quod non habet producere primam gratiam, quam supponit, sed solummodo secundam, id est augmentum ejusdem. (41. Non requiritur tamen ut Confirmationem recipiant jejuni, ut docet praxis Ecclesiae communiter recepta, teste Jordano tom. 2, lib. 3, tit. 3, n. 13, ut proinde Doctrina d., c. *Ut jejuni* 5, dist. 5, de consecrat. fuerit, vel solum consilii, vel abrogata ut sentit S. Thomas d. tertia part. quaest. 72, art. 12, ad 2, cum aliis passim (1).

ADDITIONES AUCTORIS.

(42. Confirmationis administratio delegari potest simplici Sacerdoti per indultum Apostolicum, ubi concurrat necessitas fidelium, et difficultas habendi Episcopum; Benedic. XIV, tom. 1, Constitut. 129, incip. *Eo quamvis tempore* § 8. (43. Semper tamen adhiberi debet Chrisma ab Episcopo rite benedictum. Idem ibidem.

(44. Confirmationis Sacramentum a Presbyteris Italo-Græcis conferri nequit; Idem Constitut. 57, incip. *Et si Pastoralis* § 3. (45. Proindeque ab Episcopis conferendum est

(1) Laudabilis tamen est ea consuetudo, et quantum fieri potest, observanda, ut si Confirmatio mane administraretur et a jejunis detur, et a jejunis susci-

absolute iis, qui ab hujusmodi Presbyteris Chrismate consignati fuerint. Idem ibid. (46. Sub conditione autem, si verosimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati; Idem ibid. (47. Et idem dicendum, si Episcopus Latinus ordinet aliquem Græcum ab Episcopo Græco baptizatum, de quo non constet fuisse Chrismate consignatum; Idem ibid.

(48. Confirmationis Sacramentum in Ecclesia Occidentali conferri nequit ante usum rationis; Idem Constit. 129, incip. *Eo quamvis tempore* § 6. (49. Ne quidem a Græcis commorantibus in Italia, et Insulis adjacentibus; Idem Constitut. 57, incip. *Et si Pastoralis*, § 2, et cit. Constit. *Eo quamvis tempore* § 4. (50. Aliud obtinet apud Græcos in Oriente degentes ex tolerantia Sedis Apostolicæ; Idem ibid. (51. Item apud Coptos; Idem ibid. (52. Ubi etiam idem simplex Sacerdos ministrare solet infantibus Baptismum, et Confirmationem; Idem ibid. (53. Ecclesiae Latinae morem improbare non licet; Idem ibid. in cit. Constitut. *Eo quamvis tempore*, § 6 et 7.

(54. Confirmationis Sacramentum conferri non debet pueris parum instructis in Doctrina Christiana; Idem Constitut. 42, incip. *Et si minime* § 9. (55. Confirmationis Sacramentum ministrare potest Episcopus in Ecclesiis Regularium, tam Parochialibus, quam non Parochialibus, in sacra visitatione, et extra illam; Idem Constitut. incip. *In mandis* § 6.

(56. Confirmationis Sacramentum cum oleo, et Chrismate etiam veteri, si novum haberi non possit, sed tamen a catholico Antistite benedictis, conferri a P. Guardiano S. Sepulchri Ord. Min. Obs., si defuerit Episcopus latini ritus, in sua diocesi residens, conceditur ab eodem Pontifice in suo Brevi incip. *Cum ad infrascriptum*, quod extat tom. 1 Bullar. num. 10, ex quo constat, privilegium esse personale concessum Guardiano penitenti. Ab eodem tamen P. Guardiano Terræ Sanctæ, pro tempore existente, Confirmationis Sacramentum sub conditione conferri potest Græcis-Melchitis a simplici Sacerdote confirmatis, absente Episcopo Græco Catholico; Idem Constitut. 87, incip. *Demandatum* § 14. Item, ejusdem Sacramenti conferendi facultas conceditur a Sacra Congregatione, confirmante eod. Pontifice Constit. incip. *Anno vertente*, Bull. tom. 2, num. 30, Praefecto Missionum Aegypti, donec aliquis Catholicus Episcopus in Aegypto habeatur.

(57. Confirmationis Sacramentum a Græcis Sacerdotibus collatum in locis Græcorum, in quibus mos iste non est expresse improbatum a Sede Apostolica, valere censendum est, ex consensu tacito Rom. Pontificis; de Synodo diocesis lib. 7, cap. 9, et cit. Constit. incip. *Anno vertente*; in qua tamen monetur

piatur. Ita Catechismus Romanus, et indicata instructio a Sacra Congregatione de Propaganda fide Missionariis proposita. (Edit. Barbiell.)

Chrisma illud benedicendum esse ab Episcopo.

(58. Confirmationis Sacramentum conferri potest ab Abbatibus Cryptæ Ferratæ Episcopali characterē præditis, semel singulis annis, in illius Monasterii Ecclesia per seipos; Idem tom. 2, Constit. 23, incip. *Inter multa*.

(59. Quamvis ex dictis n. 35, infantes valide possint confirmari ante usum rationis, non tamen licite; et ex hic supra traditis, Sacramentum Confirmationis in Ecclesia Occidentali conferri nequeat pueris ante usum rationis, ut statuit laud. Pontifex, tom. 1, Constit. 129, incip. *Eo quamvis tempore* § 6, tamen idem Pontifex de Synodo Diocesana lib. 7, cap. 10, num. 1, docet, quod licet Catechismus Romanus non expedire dicat, ut Sacramentum Confirmationis pueris ante septennium conferatur, non tamen prohibet, ne ullo nunquam in eventu iisdem conferri queat, quod scite perpendentes Suarez, Layman, Diana, Cottonius, Juenin, Sylvester, Maurus, Roncaglia, et Cardinalis Gottus, ab ipso citati, alique plurimi affirmant, sancte, ac licite, etiam juxta præsentem Disciplinam, Sacro Chrismate inungi pueros ante septennium, cum aut prævidetur futura diutina absentia Episcopi, aut iidem versantur in discrimine vitæ, aut alia urget necessitas, seu justa causa. Ac sub num. 6, subjungit: Et profecto, quod Confirmatio non sit deneganda pueris ante septennium, si tali morbo laborent, ut decessuri prævideantur, aperte deducitur ex D. Thoma 3 part. quæst. 73, num. 8, ad 4, ubi docet etiam pueris morturis hoc Sacramentum dandum esse: « Ut confirmati decedentes, majorem gloriam consequantur, sicut et hic majorem obtinent gratiam (1). »

ADDITIONES CASINENSES.

(63. Inter innumera Privilegia Abbati Sacri Casinensis Archicænobii a Summis Pontificibus concessa, non parvi est habendum quod Sacramentum Confirmationis suis subditis conferre possit. Id primum præstiterunt Sixtus Papa V, Constitutione, *Benignitas Apostolicæ sedis*, et Urbanus VIII, Constitut. *Exponi Nobis nuper fecit*, quas Constitutiones confirmavit Benedictus XIII, cujus Breve vid. Addit. Casin. num. 118, verb. *Abbas*. Eodem privilegio fruitur Abbas Cænobii Sanctissimæ Trinitatis Cavensis ex Constitutione Urbani II, *Cum universis*, Pauli III, Const. *Benignitas Sedis Apostolicæ consuetæ*, et Gregorii XIV, Const. *Æquum reputamus*. Satis tamen præscribitur, ut nonnisi Chrismate a Catholico Episcopo consecrato confirmet.

(1) Olim Baptismo Sacramentum Confirmationis mox adjugebatur; immo parvulis cum utroque Sacramento porrigere etiam Eucharistiam mos fuit. Multis id exemplis, et Conciliorum decretis ostendit Witasse, aut quisquis is fuerit, qui Theologicis illius Doctoris Sorbonici tractatibus tractatum addidit de Sacramento Confirmationis; cum primis vero P. Joannes Haiden in Dissertatione, quæ extat Tom. 10 Thesauri Theologici Zachariani, p. 217, de instituto

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt confirmationis necessitatem, effectum, patrinum et ceremonias.

(1. Licet nullum extet expressum generale præceptum, sive Divinum, sive Ecclesiasticum de recipiendo Sacramento Confirmationis, ac proinde per se, ac simpliciter loquendo non sit necessarium ad salutem saltem necessitate mediæ, adhuc tamen necessarium est, ut non contemnatur. Ita Scotus in 4, dist. 7, q. 2. Divus Bonaventura dist. 7, art. 3, q. 2, et communis Doctorum. Vide infra num. 5. (2. Unde in praxi serio admonendi sunt Fideles, ne Confirmationem suscipere negligant, præsertim oblata opportuniori commoditate illam recipiendi; tum ne se privent maximo fructu, virtute hujus Sacramenti consequendo, tum ne illud contemnere videantur. Judicaretur enim contemptus, si omnimode opportunitate oblata, non susciperetur, inquit Scotus loco cit. solvens instantiam adductam ex c. *Omnes fideles* 1, dist. 5, de consecrat. (3. Adest tamen speciale præceptum Ecclesiasticum, ut teneantur prius hoc Sacramentum recipere omnes, qui volunt ad primam Tonsuram, et ad Ordines admitti; Conc. Trident. sess. 23, c. 4, de reform. ibi: « Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint. » Suscipientes autem primam Tonsuram, et Ordines ante Confirmationem, non peccant graviter, si citra contemptum id faciant; Concilium enim non præcipit Ordinandis, sed Episcopo Ordinanti, ne videlicet tales nondum confirmatos prima Tonsura initiet; sic Barb. ad Concil. Trident. d. sess. 23, c. 4, n. 2, cum Suarez, Navarro, Azorio, et plurimis aliis ibi citatis. Immo Layman leg. 5, tract. 3, c. 5, num. 4, cum quibusdam aliis etiam respectu Episcopi Ordinantis non agnoscit grave præceptum, sed admonitionem ejus, quod congrue fieri debeat; quamvis si secus fiat, peccetur venialiter. (4. Adde tamen, quod promotus ad Ordines Minores ante Confirmationem non potest ad altiores ascendere, nec Beneficia accipere ante dispensationem Apostolicam; quamvis primam Tonsuram sic suscepisset, et postea Confirmatus ad superiores ascendisset; Sac. Cong. Concil. 27 Septemb. 1621, apud Monacell. tom. 4, supplement. ad 2 tom. num. 401. (5. Necessitatem, quam vocant absolutam, hujus Sacramenti recipiendi nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re vel in voto plane necessarium est necessitate præcepti, et quidem divini, tempore persecutionis (2). Neque Parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi a lethali

Ecclesiæ Infantibus mox cum Baptismo conferendi Sacramenta Confirmationis, et Eucharistiæ. Quem quidem morem, quod ad Confirmationem spectat, multo serius, quam Pamelius existimavit in suis annotationibus ad S. Cypriani librum de Lapsis, abrogatum fuisse, immo alicubi ad sæculi fere XIII, exitum in ipso occidente perseverasse idem Haiden ostendit p. 255, seqq. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Quæ hic ab Auctore ex Benedicto XIV, prolata

culpa, si non instent, ut subjecti sibi parochiani, et quos habent subjectos, Confirmationem ab Episcopo parato recipiant. Institut. Eccles. 6, § 9 et 10.

(6. Effectus Confirmationis est triplex. Primus est augmentum gratiæ habitualis, et jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter profitendam, ut habetur ex Conc. Florent., in decreto unionis, ibi: « Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen: » Et ex hac firmitate, et robore Fidei profitemdæ nomen ipsum Confirmationis suam trahit originem, ut dicit Catechismus Romanus, cap. de Confirmatione. § 16, ibi: « Ab eo nomen rei impositum est, quod hujus Sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod Baptismo operari cœpit, nosque ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit. » Et quamquam gratia prodigiorum, quam olim infundebant (1), modo cessavit, id non amplius exigente Ecclesia, gratiæ tamen sanctificantis donum modo pariter datur, S. Augustino teste, de Baptismo lib. 3, cap. 16. Quæ tamen gratia Sacramentum recipientibus, amoto peccati obice, confertur, ut sit potius gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiam robur et firmitatem quamdam spiritualium virium, quibus diabolo resistamus, Institut. Eccles. 6, § 7. (7. Secundus effectus est Character, quo Confirmatus signatur ut miles intra militiam Christi ad fidem cum robore propugnandam, juxta illud S. Melchiodis ex Catechismo Romano: « in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. » Et quod Confirmatio imprimat Characterem, habetur definitum in Concilio Florentino in d. Decreto unionis, ibi: « Inter hæc Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quæ Characterem, id est spirituale quoddam signum a cæteris distinctum, imprimunt in anima indelebile, » unde in eadem persona non reiterantur, et in Concil. Trid., sess. 7, can. 7, ibi: « Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. » (8. Tertius effectus est cognatio spiritualis; cap. *Si quis filiastrum* 12, caus. 30, qu. 1, cap. *Quamvis* 3, de cognitione spirituali. in 6. Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 2, de reform. Matrim.

(9. Patrinus requiritur in Confirmatione, ut Confirmandum teneat; cap. in Catechismo

sunt ad mentem suam clarius, ac solidius, quam num. 1, factum fuerat, pluribus confirmant Turnellius quæst. 2, art. 2, ac Trombellius T. 2, disp. 11, quos consule. (*Edit. Barbiell.*)

(1) De miraculis, et supernis visionibus, quæ primis duobus Ecclesiæ sæculis communis atque ordinarii Confirmationis effectus fuerunt, rariores tertio sæculo, nec tamen penitus abrogati, eruditissime in historia Sacramentorum Chardonius disseruit; hujusque ea de re dissertationem latine reddidit, atque annotationibus illustravit, qui Turnellium an-

100, cap. *Non plures* 101, et cap. in Baptismate, vel in Chrismate 102, dist. 4, de consecrat. (10. Et quidem sub culpa, ut ex communi docet Navar. in Manual., cap. 22. Bussembau et La Croix, lib. 16, part. 1, num. 294, et alii passim. (11. Patrinus in Confirmatione non debet esse nisi unus solus, vel una sola; cap. *non plures* 101, dist. 4, de consec., cap. *Quamvis*, de cognitione spirituali. in 6. (12. Nec valet dici, quod sicut in Baptismo ex Trident., sess. 24, cap. 2, de reform. Matrim., possunt esse duo Patrini, scilicet unus et una simul, sic etiam duo possint esse in Confirmatione. (13. Non valet, inquam, quia Trid., loc. cit., statuit tantum de Baptismo, quod possint esse duo Patrini, scilicet unus et una, adeoque non videtur extendendum ad Confirmationem; cum enim sit correctorium juris antiqui in cit. cap. *Non plures*, et cit. cap. *Quamvis*, debet restringi, nec ampliari potest ultra terminos, in quibus loquitur; Gobat., tract. 2, num. 783. Clericat. cap. 116, num. 30. Felix Potestas, tom. 1, part. 4, num. 3031. Palaus, Hernex, et alii passim, quibus accedit praxis (2). (14. Patrinus in Confirmatione debet esse distinctus a Patrino Baptismi extra casum necessitatis, dic. cap. in Catechismo 100, dist. 4, de consecrat. Barb., dict. alleg. 30, num. 51, cum pluribus aliis ibi citatis. (15. Unus Patrinus non potest tenere ultra duos eadem die Confirmationis, ut habetur ex Pontificali: (16. ubi tamen facile non possent haberi plures, qui inservirent pro diversorum Patrinis, tunc posset unus etiam eadem die esse Patrinus plurium; Gobat., loc. cit., n. 786. Marc. Anton. Genuens., in Man. Pastorum cap. 4, numer. 6. Barb., loc. cit., num. 52. La Croix, lib. 6, part. 1, num. 396. (17. Patrinus confirmandi debet esse Confirmatus; cit. c. in Baptismate, vel in Chrismate 3, dist. 4, de consecr. et in Pontificali. (18. Hinc non Confirmatus, si fieret in Confirmatione Patrinus extra necessitatem, graviter peccaret: Est fere communis apud Busemb. et La Croix, loc. cit. num. 394. (19. Immo non Confirmatus invalide obiret munus Patrini, adeoque probabiliter non contraheret cognationem spiritualem, ut colligitur ex dict. cap. in Baptismate, vel in Chrismate, ubi absolute dicitur non Confirmatum non posse suscipere alium in Confirmatione, ibi: « In Baptismate, vel in Chrismate, non potest alium suscipere filiolum ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus. » Sic Barb. loco citat. num. 34, cum pluribus aliis ibi citatis (3).

1765, ex Pezzanae typographia pluribus additionibus locupletatum emisit. Vide Venetæ illius editionis Tomum 4, pag. 559, seqq. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Confer de Patrinis in confirmatione adhibendis Trombellium, tom. 2, de Conf. pag. 212, seq. (*Edit. Barbiell.*)

(3) Quamvis in contrariam Sententiam non infirmæ notæ Auctores abeant, inter quos Theologus Censor alterius editionis, contendantque spiritualem cognationem contrahi ab homine non confirmato Patrini munus in Confirmatione gerenti; attamen hæc